

religiosa habit. V Viteberg. r) Sleidan. lib. 10. s) Novell. vid. Minist. Hamb. Quackergreuel cap. 10. t) Cic. Orat. 24. n. 69. u) Sveton. Claud. cap. 25. vv) l. 10. ep. 97. & 98. x) 3. Reg. 12. y) Forstn. not. pol. in Tac. Ann. lib. 4. cap. 2. z) 5. histor. cap. 5. aa) ibid. bb) Ammianus lib. 22. cap. 7 cc) epist. 166.

3. In securi-
tatem Tyran-
nidis Patrum
electione
cap. 8.

VIII. Sed ne præter modum simus prolixi, ad alteram libertatis partem proferamus pedem. Mira certe res, *Imperium & libertas, duo dissociabilia* a) concordem nunc claudant coronam? objiciat aliquis *libertatem à Bruto demum institutam* b) & *sub Regibus libertatis dulcedinem nondum fuisse compertam.* c) Ast quod Cicero aliquo loco d) dicit: *aut exigendi reges non fuerant, aut plebi re non verbis danda libertas,* id nostro negotio appositè possumus accommodare: Nam distingvendum inter *umbram libertatis & ipsam libertatem* e) s. inter *speciem dignitatis & potestatem ipsam,* f) utram possideat populus parum refert. Magnam igitur libertatis speciem dabat *electis centum Patribus s. Senatoribus,* omnesq; sperabant, Imperium jam esse divisum, & penes honoratioribus & potiores è populo collocatum: Verum si res ipsa ponderetur nunquam magis laboravit libertas. Videbat enim dux callidissimus, esse aliquos naris emunctioris viros in civitate, qui facile potuissent machinas hinc inde structas deprehendere; hinc implicabat eosdem negotiis honorificis quidem, ast etiam onerosis, ut istis alia cogitantibus, sibi pateret amplius ad Monarchiam aditus. Eodem artificio Romanæ Monarchiæ incunabula fovebant Cæsar g) Augustus h) Tiberius i) aliiq;, *qui castigatis oblique Patribus, quod cuncta curarum ad principem reicerent, causas privatas, judicia, postulata provinciarum, & alia ad remp. minus spectantia humeris ipsorum imponebant,* & ista adversus suam sententiam decerni ne querebantur quidem, k) ut cum Tiberius CHRISTUM inter Deos referre vellet, reclamante Senatu à consecratione abstinebat. l) Interea ipsi invadebant libertatem. Sic Jethro Mosi dabat consilium, ut inferiores constitueret Judices, qui nihil nisi quæstiones difficiliore ad eum remitterent. m) Atq; hoc est quod volebat Cromwelus, dum Parlamentum Anglicum veterem libertatem spirans, omni ex parte immutaret. n) Nec alieni sunt ab hoc instituto Reges Galliæ, quare tot Parlamenti Parisiensis controversiæ cum Henrico IV. o) Carolo IX. p) Francisco I. q) & qui restant. Nam haret in recenti memoria Parisiū
in